

14. *verb.* post mortem *dist.* 32. Henric. in *cap.* Uxoratus 5. num. 12. *de convers. conjugat.* Angel. *verb.* Matrimonium 4. num. 9. apud Fagnan. in *cit.* *cap.* Uxoratus numer. 9. quamvis ipse in num. 8. dicat, quod consentiunt omnes, tam Theologi, quam Canonistae, quod tali casu absolute non possit uxor revocare virum, cum eo ipso quod licentiam dederit viro suscipiendi sacros ordines, censetur etiam vovisse castitatem, & privatam esse usu conjugii, & consequenter etiam Jure revocandi virum.

69. Si conjugatus cum licentia spontanea uxoris sacros ordines suscepit, tunc uxor non potest eo mortuo, valide aliud matrimonium inire; *cap.* Quia sunt 10. *dist.* 28. & *ibi gloss. fin.* Azorius *part.* 1. lib. 13. *cap.* 14. *quest.* 11. Sanchez *loc. cit.* *disp.* 40. num. 3. Pithing. *loc. cit.* n. 61. *vers.* Notandum 4. Et ratio est, quia ex ecclesiae constitutione ob reverentiam ordinis sacri suscepti à viro cum spontanea licentia uxoris vovens castitatem, ipsa quoque reddita est inhabilis ad aliud subsequens matrimonium ineundum.

70. Si autem vir ordinem sacrum susceperit, uxore contradicente, vel ignorante, potest ipsa, eo mortuo, aliud matrimonium valide contrahere, quia delictum viri non debet prejudicare uxori, cum peccata suos debeant tenere Auctores; *cap.* Quasivit 2. *de bit.* *que sunt à majori parte capituli;* *leg.* Sancimus 2. *cod. de panis.* Nec debet alterius odio praegravari; *cap.* Non debet 22. *de regul. juris in 6. leg.* Non debet 74. *ff. de regul. juris.* Et rem, quae culpa caret, in damnum vocari non debeat, *cap.* Cognoscens 2. *de constitutionibus;* sic Sanchez *loc. citat.* num. 4. Pithing. *loc. citat.* num. 61. *vers.* Notandum 3. & alii passim.

71. Conjugatus sine spontanea uxoris licentia ad ordinem sacrum transiens fit irregularis, & nequit, durante matrimonio, immo nec matrimonio per obitum, ad professionem religiosam uxoris soluto, in suscepto ordine ministrare, nec ad superiores ordines provehi, nec ad aliud beneficium, vel officium ecclesiasticum promoveri, nisi aliquam de religionibus approbatis canonicè fuerit ingressus, quo casu poterit Episcopus super praemissis cum eo dispensare. *Communis, text. express. in extravagan. Antiquae, Joan. XXII. de voto, & voti redemptione.*

72. Et si matrimonium nondum fuit consummatum, talis conjugatus sine spontanea licentia uxoris ad ordines sacros promotus est instantè monendus, & inducendus ab Episcopo ad religionem ingrediendam; & si religionem nonerit ingredi, si sponsa ejus institerit, est per ecclesiasticam censuram ad consummandum matrimonium compellendus. *Communis, text. express. in citat. extravagan. Antiquae in fine, ibi: "Ad ingressum hujusmodi sic ordinatum (si matrimonium consummatum non fuerit) per diocesanum instantè moneri praecipimus, & induci: Quod si forsitan renuerit adimplere, ipsam (si sponsa ejus institerit) per censuram ecclesiasticam compellendum decernimus contractum matrimonium consummare."*

74. Si unus conjux pro certo cognoscat invaliditatem matrimonii, eo quod indubitanter sciat subesse impedimentum dirimens, quamvis hoc in facie ecclesiae probare nequeat, non solum non potest petere, sed nec reddere debitum, non obstante, quod per sententiam judicalem ecclesiae, vel etiam per excommunicationem ad id compellatur, aut ab altero conjuge absque gravi scandalo, aut etiam absque manifesto vitæ periculo, discedere nequeat. *Vide verb.* Debitum conjugale, *art.* 1. *numer.* 51. & 52.

75. Quando conjuges debitum conjugale possint, & debeant reddere, vel non; *vide verb.* Debitum conjugale, *art.* 2. *per tot.*

76. Quando, & quomodo possint, vel non, conjuges facere divortium; *vide verb.* Divortium, *per tot.*

77. Conjuges opus conjugii exercentes ob solam voluntatem, non vacant culpa veniali. *Communis.* Contraria enim opinio est expressè damnata ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. *proposit.* 9. *ibi: Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.*

78. Conjux in actu conjugali cum sua uxore, se morose

delectans in alia, velut praesente, peccat mortaliter, & addit speciem adulterii in confessione explicandam; *vide verb.* Adulterium, *art.* 1. *num.* 6. & *verb.* Delectatio morosa, *num.* 26.

Delectatio morosa de actu conjugii inter conjuges praesentes, dummodo absit periculum pollutionis, non est peccatum mortale; *vide dist.* *verb.* Delectatio morosa, *num.* 24.

Immo conjux neque mortaliter peccat, si de maritali copula, altero conjuge absente cogitans, in re cogitata morose delectetur; *vide libid.* *num.* 25.

Omnes tactus, oscula, amplexus, turpiloquia, aspectus lascivi, & hujusmodi, quae sunt inter conjuges sine ordine ad copulam, si fiant cum periculo pollutionis in uno, vel altero, vel pertineant ad sodomiam quamdam inchoatam, sunt peccata mortalia; aliis non sunt nisi venialia; *vide verb.* Luxuria, *num.* 89. *verb.* Tactus, *num.* 12. 13. & 14.

Conjuges an, & quas donationes possint sibi invicem facere? *Vide verb.* Donatio, *art.* 2. *d. n.* 13. *ad n.* 29.

Quoad ea, quae concernunt bona conjugum; *vide verb.* Bona, *art.* 4. *d. num.* 1. *ad 37.*

Quibus prius subvenire debeant conjuges, in extrema gravi, & communi necessitate; *vide verb.* Necessitas à *num.* 25. *ad 37.*

Ad quem conjugem spectet proprietas, & dominium dotis, & quid de ipsa in variis casibus; *vide verb.* Dos, *art.* 1. & 3. *per totum.*

Alia ad rem, *vide verb.* Adulterium, *verb.* Bona, *art.* 4. *verb.* Debitum conjugale, *verb.* Delectatio morosa, *verb.* Divortium, *verb.* Donatio, *verb.* Luxuria, *verb.* Maritus, *verb.* Impedimenta matrimonii, *verb.* Matrimonium, *verb.* Necessitas, *verb.* Sepultura, *verb.* Tactus, *verb.* Uxor.

¶ Matrimonio contracto, & nondum consummato potest alter conjugum etiam alio invito intra bimestre religionem ingredi, & remanens in seculo ad secundas nuptias transire, ut rectè, *ex text. in cap. 7. de convers. conjugat.* firmat Auctor *num.* 3. & *plur. sequent.*

Quæri hic non incongrue potest, à quo tempore parti volenti religionem ingredi currat bimestre? Sunt qui tenent numerari debere bimestre à die contracti matrimonii; *Vide Zoes. in decret. lib. 3. tit. 32. num.* 20. *Wiestner in hunc ipsum titulum num.* 2. Alii vero sentiunt numerandum à die praefixionis termini factæ à Judice; *Fagnan. in cap. 7. num.* 26. *de convers. conjugat.* Schmalzgrueb. *Jur. eccles. univ. lib. 3. part. 4. tit. 32. §. 1. numer.* 1. ubi quod utilis est resolutio hæc ad cognoscendum, quando conjuges sibi debitum negantes peccent, & quando si sponsus sponsam cogat religionem amplius ingredi eidem non liceat.

Controversia vero est non levis, an intra hoc bimestre à Judice praefixum teneatur ingredi volens profiteri? Ratio dubitandi inde oritur, quod Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 15. *de regular.* statuit, ut professioni annus probationis praemittatur, & quidem sub pena nullitatis; Navarrus summus ille Canonista in utramque partem disputat *cont.* 1. *per tot. de convers. conjugator. sed in Manual. Confess. cap.* 17. *num.* 27. *affirmativam tenere videtur sententiam.* Hanc ipsam affirmativam sententiam post Vega, Maja, Solis, aliosque acriter tenet *Zoes, in decret. lib. 3. tit. 32. num.* 21. "Ubi probabilè inquit, esse quantum ad hanc rem nihil esse immutatum per Tridentinum, quum decretum Concilii sit generale, & posterius, quod solet per priora specialia restringi & explicari &c. Facit ratio Juris antiqui, ne scilicet per moram ingressi detur manenti in seculo ansæ peccandi, quæ ratio etiam obtinet Jure novo. Nec videtur quidquam facere negatio universalis posita in *dic. no cap.* 15. quum respondeat generali prohibitioni Juris antiqui, ut non improbabiler Jus novum ejus distinctioni adaptandum veniat, & facit quod priora Jura non censentur abrogari per posteriora, nisi sit in iis expressum."

Communior tamen est opinio negativa, secundum quam bimestre illud ad deliberandum tantum datum intelligitur, & propterea is, qui intra hoc tempus ingres-

CONSCIENCIA.

Praemittenda ad articulum de conscientia.

Utr doctissimis censoribus morem gererem, sequenti de conscientia articulo hanc animadversionem praemittendam duxi, qua lectores moneo, atque hortor ad probabilissimi doctrinam praevocandam, atque ad laxas illas opiniones considerandas, quas ex suo probabilismo hausit Auctor noster, atque in omnibus illis locis exposuit, quibus ego ab iisdem censoribus monitus notam, explicationes, atque etiam confutationes adjeci. Primam vero Romanorum Pontificum hæc de re sententiam exponemus; deinde Episcoporum in variis synodis decreta: Praeterea theologica argumenta, quibus probabilismus omnino convellitur; ac demum consecranda illa, quibus notata à censoribus propositiones in hoc articulo confutantur.

Nemo ex probabilistis est, qui non statuat, ac fateatur, Romanos Pontifices in explicanda, atque inculcanda christiano populo morum doctrina, errare non posse. His enim pascendi dominici gregis munus, ac divina illa revelationis depositum concredidit est, atque divina illa factæ sunt promissiones, quæ certos nos faciunt, nunquam ad mores ecclesiarum portas inferi, hoc est, circa fidem & mores, prevalere posse. Mittimus decreta Romanorum Pontificum, quæ ante primam probabilissimi epocham in favorem sanioris doctrinæ prodierunt. Ac tria tantum edita adversus probabilismum decreta referam. Primum erit Alexandri VII. die 24. Septembris an. 1665. editum, quod sic se habet: "SS. D. N. audivit non sine magno animi sui moreore, complures opiniones christianæ disciplinae relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum suscitari, partim noviter prodire: & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis exerescere, per quam in irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate, sanctorumque patrum doctrina; & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset christianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam salutis, quam supra veritas Deus, cum jus verba in æternum permanent, arctam esse definit, in animarum perniciem dilatarè, seu verius perverti contingeret, idem SS. D. N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro pastoralis sollicitudine in rectam semitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in sacra theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus seriò commisit. Qui tantum negotium strenue aggressi, eique sedulo incumbentes, & mature discussis usque ad hanc diem infrascriptis propositionibus &c." *Vide ergo Romanum Pontificem probabilisticum opinandi modum alienum appellare ab evangelica simplicitate, sanctorumque patrum doctrina, dum scribit, modus opinandi irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate, sanctorumque patrum doctrina; & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset christianæ vitæ corruptela.*

Alterum decretum est Innocentii XI., qui an. 1679. plurimas propositiones damnavit, & Alexandri VII. praedecessoris sui decretum, pro segregandis salutaribus pascuis ab innoxis probavit iterum, atque inculcavit; & die 26. Junii 1680. hoc aliud ad improbandum probabilismum edidit: "Facta relatione per Lauriam centenorium in literis P. Tyrsi Gonzalez Soc. Jesu Sanctissimo D. N. directis, Eminentissimi Inxerunt; scribendum per Secretarium Status Nuntio Apostolico Hispaniarum, ut significet dicto P. Tyrso, quod Sanctitas sua, benigne acceptis, & non sine laude perfectis ejus literis, mandavit, ut ipse libere, & intrepide praedict, doceat, & calamo defendat opinionem magis probabilem, & non viriliter impugnet sententiam asserentium licitum

CONSANGUINITAS.

Vide verb. Impedimenta dirimentia matrimonium, verb. Cognatio.

erit, aliquas, easque clarissimas, producere rationes, quibus ostenditur illicitus omnino usus opinionum probabilium in concursu probabiliorum. Ac principio quidem nunquam potest homo opinionem sequi probabilem relicta probabiliori, quin imprudenter agat, ac sese exponat peccandi periculo, atque adeo peccet juxta illud: Qui amat periculum, in illo peribit. Nam ut homo in operando immunis sit à culpa, debet habere, ut fatentur omnes, certitudinem saltem moralem de honestate actionis, quam efficit; atqui si opinionem sequatur probabilem, probabiliori relicta, certitudine illa omnino caret; graviora siquidem motiva trahunt in suam partem intellectum, atque ita superant motiva minus graviora, ut in concursu cum gravioribus nullam efficere valeant verisimilitudinem, certitudinemque moralem. Igitur opinio probabilis in conspectu probabilioris redditur incerta, atque periculosa. Ex quo etiam sequitur, contra prudentiam agere hominem, quæ secunda ratio est, quam contra probabilium adducimus. Quis enim dicat prudentiam esse certis incerta præponere in rebus ad salutem spectantibus? Quis negat hoc esse generale prudentiæ præceptum, ut in obscuris, ac dubiis majorem verisimilitudinem, magisque à peccandi periculo removemem sequamur? At si hoc verum sit, sicut verissimum est, contra præceptum, ac regulas prudentiæ operatur ille, qui in judicando ducitur motivis minus gravioribus, relicta gravioribus; præfert enim minorem verisimilitudinem majori, nec quantum in se est conatur à peccandi periculo recedere, ut debet omni qua potest diligentia.

Si brevis, quam nobis in hisce additionibus præscripsimus, pateretur fusiori nos uti calamo, alia bene multa adducere non gravemur, quibus palam fieret quam exitialis, ac pestilens sit usus opinionum simpliciter probabiliū, dum præferuntur magis probabilibus; tum etiam facile esset convellere probabilissimi principia illa, quæ tantopere ab illius defensoribus jactantur, inter quæ & illud est: in dubiis melior est conditio possidentis. Verum hæc omnia, qui perspecta & cognita habere cupit, historiam legat probabilissimi Patris Danielis Concine, ejusque tractationem de usu opinionum probabilium tom. 2. apparatus. ad christianam theologiam. Hæc porro, quæ præmissa à nobis sunt, falsitatis evidenter convincunt doctrinam, quam tradidit noster Auctor variis in locis. Quæ namque ibidem docet, pura & pura esse videtur probabilissimi conscientiarum, ac reipsa sunt; quare everso fundamento, illa quoque excident, & corrumpantur necesse est. Juvat tamen breviter, quæ in prædictis locis habet sigillatim expendere. Numero 32. docet, posse hominem rem possessam practice retinere, & judicare esse suam, ac proinde eam licite retinere, licet speculative dubitet, an res possessa sit sua. Falsum id est prosum; nam principium illud, quo id Auctor probat, nempe in dubiis melior est, non ad questionem de licito & illicito pertinet, sed ad questionem forenses in materia justitiæ, ut passim tradunt Theologi. Deinde superveniente dubio de re possessa, etiam sub bona fide, tenetur possessor investigare legitimum possessionis titulum; quod si nullus occurrat, quo constet rem esse alienam, jure, ac licite eam possidere potest, quia suffragatur possessori legitima præscriptio, quam non tollit dubium superveniens, nec possessorem cogit ad possessionem deponendam; sed obligat tamen ad investigandum justum, ac legitimum possessionis titulum.

A vero pariter longe distant quæ Auctor habet de Consiliariis, n. 98. quod dicit posse aliquem consulere juxta opinionem aliquorum probabilem, quam tamen in praxi ipsi non sequantur, ac falsam judicent. Debent enim Consiliarii non fallere, sed quæ vera sibi videntur exponere; at si persuaderent aliis, opinionem sequendam minus probabilem, & tutam; dum ipsi alia ducuntur probabiliori ac tutiori, profecto, & contra propriam conscientiam dictamen consulenter, & contra propriam mentem irent, ac incertam indigerent viam, dum ipsi certorem, tutioremque agnoscerent. Num id licet, prudens judicet Lector. Mirum vero non est hæc ab Auctore tradi, qui ubique fere ex semel præjacto principio, probabilismo nimirum, suas opiniones probat, & confirmat.

Ad ea vero, quæ habet de Confessario, non est quod modo quidquam dicamus; videantur, quæ ad hanc rem pertinentia diximus in verb. Confessarius. Quoniam autem de conscientia hic brevissime agere institimus; reliquum nunc est, ut modum, illumque omni ex parte tutum præscribamus, quo possit unusquisque suam formare conscientiam, ubi præsertim dubia praxim respicientia suboriantur. Nihil vero utilius ad hunc effectum censemus regulis, quas ex Leonardo Vandroey ex excerptis hic subjungimus.

REGULÆ.

Prima: Si sit dumtaxat probabile, quod actio aliqua licita sit, qui eam ponit, periculo se exponit illicite agendi.

Secunda: Si aliquid præter probabilitatem concurrat, quo plane certus evadit, quod actio hic, & nunc mihi liceat, agendo non sequor sententiam practice probabilem, sed practice certam.

Tertia: Certus fieri nequeo de formali actionis honestate, sive quod mihi liceat agere ex ipsa probabilitate, sive ex eo, quod sit probabile actionem esse licitam, neque ejusmodi ad certitudinem asserere possunt hæc principia: Quidquid est practice probabile, est practice tutum. Qui sententiam vero probabilem, vel probabilioem sequitur, prudenter agit &c. Quia admodum incerta, & vix, aut ne vix quidem probabilia sunt.

Quarta: Quando est dumtaxat probabile, quod actio licita sit, per principium reflexum certi evadimus, quod actio licita sit, per principium reflexum certi evadimus quod agere non liceat, nempe per regulam Juris nature vetantem, ne quis sese periculo peccandi, & legem æternam violandi exponat.

Quinta: Quando actionis legi æternæ repugnantis malitia, vel per tenuissimam probabilitatis rimam considerationi adfulget, agens invincibiliter malitiæ ignorantiam præterire non potest.

Sexta: Quando probabile est actionem secundum se recte rationi, & legi æternæ esse difformem, eam ponere non licet, nisi omissio istius actionis etiam verosimiliter recte rationi repugnet.

Septima: In tali angustia, nempe, quando & actio, & actionis omissio verosimiliter legi æternæ adversantur, pensandum est à qua parte plus sit periculi: omnibusque rite ponderatis illud eligendum est, quod minus malum prudenter judicatur.

Octava: Quantacumque probabilitas in materia Juris nature periculum peccati abstergere nequit, quia licet maxime sint probabile, v. gr. quod mentiri ad innocentem à morte liberandum Juri nature non repugnet, si lex æterna mendacium etiam tunc vetet, regula ista legis æternæ non delebitur ob nostram probabilitatem. Unde qui in tali casu mentiretur, exponeret se periculo ponendi actionem regulæ legis æternæ difformem, adeoque à peccato eximi nullo pacto posset.

Nona: Verum in materia legis positivæ ex magna probabilitate ad certitudinem moralem accedente, aliisque circumstantiis epikeja aliquando formari potest, sic ut prudenter judicemus, non esse mentem legislatoris in simili casu nos obligare.

CONSCIENTIA.

ARTICULUS UNICUS.

SUMMARIUM.

- 1 CONSCIENTIA quid sit, in quo differat à synderesi, & unde dicatur, ad n. 6.
2 Quenam opera conscientia respiciat, ad n. 12.
3 Conscientia divisio quotplex, ad n. 24.
4 Dubium quoad conscientiam quomodo dividatur, & subdividatur, ad n. 30.
5 Tota dubiorum materia excutitur, ad n. 67.

Alia

- 68 Alia subjunguntur conscientia divisiones, ad n. 73.
74 De opinione probabili, & quæ sint circa eandem Sacerdotis, Judicis, Medici, Consiliarii, & Advocati partes, ad n. 115.
116 Conscientia scrupulosa definitio, signa, causas, remedia, privilegia, &c. ad n. 120.
127 Subneantur additiones ex aliena manu, ad n. 139.

CONSCIENTIA est dictamen practicum intellectus judicantis aliquid in particulari, seu hic, & nunc agendum, ut bonum honestum, vel fugiendum, ut malum inhonestum, esse vel fuisse. Est in re communis. Conscientia, seu prudentia differt à synderesi, seu ethica quia synderesis, seu ethica judicat de principiis moralibus universalibus, conscientia vero, seu prudentia judicat de conclusionibus particularibus ex illis deductis. Sit pro exemplo sequens, vel consimilis syllogismus: Desensit die festo talibus impedimentis non tenentur audire sacram; sed ego hodie non currenti festo desineo talibus impedimentis; ergo non tenor audire sacram. In hoc vel simili syllogismo majorem universalem formansynderesis, seu ethica; minorem autem particularem, & conclusionem efformat conscientia, seu prudentia. Hinc conscientia secundum etymon dicitur ab aliquibus quasi concludens scientia, eo quod ex principiis communibus concludit in particulari, quid agendum, vel non agendum. A Divo Bernardo lib. de conscientia cap. 8. dicitur conscientia, quasi cordis scientia. A Divo Thoma in 2. 2. dist. 5. quasi. 2. art. in corpor. dicitur conscientia, quasi cum alio scientia, quia scientiam practicam universalem applicat, vel conjungit cum actione in particulari, vel dicitur conscientia quasi cum seipso scientia, eo quod quis per eam sibi ipsi conscius sit recte, vel male factorum. Et inde, sunt verba S. Doctoris loc. cit. Et inde dicitur conscientia, quasi cum alio scientia, quia scientia universalis ad actum particularem applicatur, vel etiam quia per eam aliquis sibi conscius est eorum, quæ fecit, vel facere intendit. Unde conscientia partim respicit opera nostra præterita, ea vel accusando tamquam malefacta, & dicitur remorsus conscientie, seu vermis conscientie, etiam in damnatis perseverans, juxta illud Isaia 60. Vermis eorum non morietur, & juxta illud sapientie 4. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traduent illos ex adverso iniquitates eorum; vel ea commendando tamquam benefacta; juxta illud Apostoli 2. ad Corinth. cap. 1. Gloria nostra hæc est; testimonium conscientie nostræ. Partim autem conscientia respicit opera instantia, seu futura, dictando quæ agenda sint tanquam bona, seu honesta, & quæ omittenda tanquam turpia, seu inhonesta, & dicitur alio nomine dictamen rectæ rationis juxta illud S. Joannis Chrysostomi homil. 54. in Genes. Nullus prætentat, quod virtutem negligat, vel quod non habeat aliquem viam ducem, & demonstratorem sufficientem habemus magistrum conscientiam, & fieri non potest, ut quis illo adjumento privetur.

Hinc colligitur, quod conscientia est intrinseca, & proxima regula, juxta quam homo tenetur dirigere suas actiones, cum ab ipsa proxime deriverit in actum moralis, scilicet bonitas, vel malitia. Lex autem est regula extrinseca, & remota, prout est radix, unde oritur bonitas, vel malitia objecti. Quia vero lex non transfundit in actus nostros bonitatem, & malitiam nisi ut sunt in nostra conscientia, & ab ea proponuntur nostræ voluntati, ideo conscientia est regula proxima, cui si actus nostri conformentur, sunt boni, si difformentur, sunt mali. Potest interdum contingere, ut actus sit bonus, & objectum in se malum, & e contra, ut si quis ex invincibili ignorantia judicaret licitum esse perjurium ad salvandam vitam proximi, peccando non peccaret, quamvis ejus objectum sit in se malum, quia actus non specificatur ab objecto, ut est in se, sed ut à conscientie dictamine voluntati proponitur. Unde conscientia, quæ est regula proxima humanarum actionum, sumitur hic pro judicio practico intellectus proponente aliquid voluntati hominis ut bonum, vel malum moraliter, ac proinde prosequendum, vel fugiendum; ipse enim actus intellectus

practici, quo judicat aliquid esse bonum, vel malum, aut indifferens in genere moris, & ut tale illud proponit voluntati, vocatur proprie conscientia. Quæ dividitur in quinque membra, scilicet in conscientiam rectam, erroneam, seu falsam, dubiam probabilem, seu opinativam, & scrupulosam.

Conscientia recta, seu certa est, quæ ex principiis veris, & certe cognitis, & certe applicatis judicat in particulari absque formidine de opposito, id quod faciendum est, esse bonum, vel malum, præceptum, vel prohibendum, sicut revera est. Est in re communis. Conscientia erronea, seu falsa est, quæ ex principiis falsis, creditis tamen pro veris, dicit aliquid esse faciendum, vel non faciendum, quod revera tale non est, absque fundamento probabili. Est in re communis. Dicitur autem notanter, absque fundamento probabili, ad differentiam conscientie probabilis, quæ quandoque etiam dicit aliquid esse honestum, ac illicitum, & tamen, quia id colligit ex motivis probabilibus, non dicitur conscientia erronea, sed probabilis. Conscientia erronea dividitur in invincibilem, & vincibilem. Conscientia erronea invincibilis est, cujus error, adhibita diligentia morali, vinci, seu vitari non potuit, ideoque talis erroneus actus nec voluntarius est, nec ad culpam est imputabilis. Conscientia erronea vincibilis est, cujus error moraliter loquendo vitari potuit, & debuit, ac proinde talis erroneus actus est indirecte voluntarius & culpabilis.

Conscientia erronea sive sit vincibilis, sive invincibilis obligat negative ad actum dictatum, ne videlicet contra eam operemur, quia operari contra ejusmodi conscientiam erroneam nondum depositam, semper est peccatum, ut habetur expresse 14. Ad Romanos, ibi: Omne quod non est ex fide, id est, ex dictamine conscientie, peccatum est. Et ut inquit Innocentius III. c. Literas 13. de restit. spoliat. Quidquid fit contra conscientiam edificat ad gehennam. Sic communissima Doctorum conscientia erronea invincibilis obligat ad actum dictatum, non solum negative, ne scilicet contra eam operemur, sed obligat etiam positive, ut ipsam sequamur, ut proinde quis peccet, nisi dictamen illius in operando sequatur, non obstante quod objectum sit revera malum. Est etiam communis, & ad hoc faciunt etiam textus mox citati. Et ratio est, quia ex quo conscientia est invincibiliter erronea, taliter ut ejus error nulla morali diligentia vinci, ac deponi possit, ita ipsa se habet in prudenti, ac inculpabili judicio operantis, ac si esset simpliciter, & absolute recta, adeoque tenetur sic judicari eam sequi non minus, ac conscientiam rectam; licet enim conscientia erronea invincibilis non sit recta simpliciter, est tamen recta secundum quid, nempe in ordine ad nos. Conscientia erronea vincibilis non solum non obligat positive ut eam sequamur, sed neque licet ipsam sequi, obligat tamen ut eam deponamus, ita ut sive juxta eam, sive contra eam agamus, semper peccemus, nam si facimus, quod revera à lege præceptum est, agimus contra conscientiam nostram oppositum dictamen; si vero sequimur dictamen nostræ conscientie, peccamus contra legem, à qua non absolvimur per errorem nostræ conscientie, ut pote mere vincibilem, & culpabilem: Sic communiter Doctores. Qui peccat ex conscientia erronea, peccat peccato ejusdem speciei, & qualitatis, quam intellectus judicat, quia actus non specificatur ab objecto ut est in se, sed prout hic, & nunc à conscientia dictamine voluntati proponitur. Hinc qui habet rem cum libera, putans eam conjugatam, adulterium committit, sicuti e contra, qui habet rem cum conjugata putans eam liberam, fornicationem committit. Est communis.

Conscientia dubia est suspensio intellectus circa utramque partem contradictionis; id est, est ea, quæ neutri parti determinatum præstat assensum, sed anceps manet in utramque, v. gr. an hoc sit peccatum, vel non. Est in re communis. Conscientia dubia differt à conscientia probabilis, quia dubitans ad neutram partem se determinat, sed anceps, & suspensus manet inter utramque. Opinans vero determinate uni parti assentitur. Conscientia dubia varie dividitur juxta varias divisionem dubii,

unde bene percepta divisione dubii, percepta erit divi-
 25 sio conscientie dubia. Dubium igitur in primis dividitur
 in dubium *speculativum*, & dubium *practicum*. Dubium
speculativum est, quando dubitatur de aliquo, non quaerendo
 directe de praxi, seu actione humana, num ea licita
 sit, necne? Sed de quodam alio, an ita se habeat
 necne? v. gr. cum dubito, an hodie sit preceptum jejunandi?
 An res quam possideo, sit vere mea? Sistendo
 26 in mera dubitatione de malitia, aut bonitate objecti, seu
 actus in genere, *Dubium practicum* est, quando dubita-
 tur de operatione quaerendo directe de ipsa praxi, seu ac-
 tione humana, num ea in talibus circumstantiis sit licita,
 necne? Ut cum dubito de malitia, aut bonitate actionis,
 hic, & nunc exercenda, v. gr. An hodie teneat jejunare?
 27 An hic, & nunc teneat rem restituere? Secundo: Du-
 bium dividitur in dubium *positivum*, & in dubium *negati-
 vum*. Dubium *positivum* est, quando quis pro utra-
 que parte contradictionis habet rationes probabiles, unde
 stante aequalitate probabilitatis ipsarum in suo iudicio
 28 metinetur in aequilibrio, & suspensus ad neutram partem se
 determinans. Dubium *negativum* est, quando quis pro
 neutra parte habet rationes probabiles, unde defectu ip-
 sarum remanet in suo iudicio suspensus neque afirmando,
 neque negando quod talis actio sit licita, vel illicita.
 Tercio: Dubium dividitur in *dubium juris*, & in *dubium
 facti*. Dubium *juris* est dubium de aliquo iure, lege, pre-
 cepto, statuto &c. presupposito ad honestatem actionis
 exercenda; v. gr. cum dubito an adsit tale jus, an sit la-
 29 talis lex, an impositum tale preceptum, exempli gratia
 jejunandi, audiendi sacrum, & hujusmodi. Dubium
 30 facti est, cum dubitatur de aliquo facto, ejusque con-
 ditione aliqua spectante ad honestatem actionis exercen-
 da; v. gr. cum dubito an recita verum officium, necne? An
 confessus sim tale commissum peccatum, & hujusmodi.
 Qui operatur cum conscientia speculativa dubia juris,
 vel facti non peccat, si practice judicet opus illud esse
 hic, & nunc sibi licitum. Est *communis*. Et ratio est,
 quia regula proxima nostrarum actionum non est con-
 scientia speculativa, qua in sola objecti veritate cognoscen-
 da consistit, sed practica, que omnium circumstan-
 31 tiarum qualitatem, & conditionem pendit. Unde cum
 objectum, quod secundum se, & speculative considera-
 tum apparet dubium, antecedentibus certis circumstan-
 tiis possit reddi practice certum, quod liceat, stat clarum,
 quod operari cum conscientia solum speculative
 32 dubia non sit peccatum. Et veritas hujus conclusionis
 33 clarificatur exemplis. Si quis, v. gr. dubitet speculative
 an res a se possessa sit sua, necne? Non possessio tali
 dubio speculative, potest practice judicare sibi de facto
 licitum esse rem possessam retinere, eo quod in dubio
 melior sit conditio possidentis ex tria regula juris, scilicet
 quae licite, & absque peccato rem possessam retinebit. Sic
 etiam Clericus in sacris constitutus, vel Religiosus pro-
 fessus, qui considerata qualitate suae infirmitatis specula-
 tive dubitat, an sibi liceat a recitandis horis abstinere;
 accedente Medici, vel Confessarii consilio, practice est cer-
 tum; id sibi licere, adeoque deposito practice illo suo du-
 34 bio, non peccat omittendo recitationem horarum. Qui
 operatur cum conscientia practice dubia, peccat pro quali-
 tate dubii, & in ea specie peccati, de qua dubitat, ita ut
 si dubitet, an peccet mortaliter, agendo mortaliter pec-
 cet, si venialiter, peccet venialiter; & si dubitet, an in
 specie adulterii delinquat, agendo, seu rem habendo
 35 malitiam adulteri contrahat, & sic de aliis. Est *commu-
 nis*. Et ratio est, quia omnis sciens, & volens, exponens
 se periculo peccati, peccat, & quidem eodem genere
 peccati, cujus periculo se exponit, ut docet communis-
 36 ma Doct. cum Divo Thoma *quodlibet*. 8. art. 13. Scoto
 in 3. dist. 25. *quest. unic. & alibi*; ex illo *Ecclesiasti-
 ci* 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*. Atqui operans
 cum conscientia practice dubia de honestate actionis hic,
 & nunc exercenda, si sciens & volens exponit se peri-
 37 culo peccati, eligit enim voluntarie actionem indiscrimi-
 natam sive licitam, sive illicitam, ergo eo ipso peccat,
 quia ex *Apostolo* 14. ad *Romanos*: *Quod non est ex fide,
 peccatum est*, id est, quod non fit ex certa credulitate,
 seu determinato iudicio intellectus, licitum esse, quod

hic, & nunc agitur, peccatum est.
 Ex his resolvitur, quod practice dubius debet suam ac-
 34 tionem suspendere donec res mature, sed humano mo-
 re examinata, id est, facta debita morali diligentia, a
 Doctores consilium petendo, dubium prudenter depou-
 nat, formando iudicium determinatum de honestate ac-
 35 tionis hic, & nunc exercenda. Si vero res mature exami-
 nata, & facta debita morali diligentia, adhuc maneat du-
 bium pro utraque parte, & reperitur in talibus circum-
 stantiis, ut debeat necessario operari, tunc si nequeat du-
 bium deponere, debet eligere partem tutiorem, id est, id
 in quo non est periculum peccandi, aut id, quod est mi-
 nus malum, nam ex cap. Duo in mala 1. cap. Nervi 2.
distinct. 13. & cap. Non solum 7. *caus.* 22. q. 4. ex duo-
 bus malis, minus est eligendum, quia tunc non eligit
 illud ut malum, sed ut bonum, quia hic, & nunc in tali
 36 casu nihil faceret potest, quod melius sit. Si autem
 utrumque malum appareat ipsi aequaliter, & reperiatur in
 necessitate operandi nequeat discernere quodnam de duobus
 malis sit majus, vel minus malum, tunc potest eligere
 quod vult, quia tunc conscientia dubia evadit invincibili-
 37 ter erronea, & ideo in tali casu non peccat, ut expresse
 habet D. Augustinus *lib. 3. de libero arbitrio*. cap. 19. ibi:
*Non tibi deputatur ad culpam, quod incivis ignoras,
 sed quod negligis querere, quod ignoras*. Hoc tunc
 38 utrumque licet in sequenti, vel simili exemplo. Petrus, v. gr.
 in die festo assistens infirmo periclitanti, dubitat, aut ex
 conscientia erronea putat esse aequale peccatum deserere
 infirmum, & omittere sacrum; nec valet dubium, vel
 errorem deponere, ex quo non habet Doctorem promptum,
 quem consulat; tunc potest sine peccato quam partem
 mavult eligere, quia in tali casu ignorantia est invincibilis,
 operatio imminet, & non potest exequi simul
 utrumque preceptum, charitatis scilicet, & religionis.
 Hinc pro regulis generalibus ad rationabiliter depou-
 39 nendum dubium, quando propria materiae motiva non
 suppetunt, valde conferunt expendere duo usualiora axioma
 ex iure communi deprompta, scilicet: *In dubiis tu-
 tius pars est eligenda: In dubiis melior est conditio pos-
 sidentis*. Primum axioma, scilicet: In dubiis tutior est
 eligenda, desumitur praecipue ex cap. Juvenis 3. *de sponsa-
 libus*, ubi expresse dicitur: *In his, quae dubia sunt,
 quod certius estimamus, tenere debemus*; ex cap. Ad
 40 audientiam 12. *de homicidio*, ubi sic praecise habetur:
Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem; ex
 cap. Significasti 18. *ead. tit.* ubi de Sacerdote dubio ho-
 41 micida, sic expresse dicitur: *A sacerdotali officio abstinere
 debet, cum in hoc casu cessare sit tutius, quam re-
 mittere celebrare*; & cap. Petito tua 24. *ead. tit.* ubi in
 dubio de homicidio commisso a Sacerdote in conflictu
 contra inimicos fidei catholice, sic praecise habetur: *Cum
 sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quam temere
 celebrare*. Hoc axioma sine dubio universaliter, &
 42 semper verum est, quantum ad consilium, & perfectionem;
 semper enim consultius, & perfectius est in quo-
 vis dubio eligere partem tutiorem; ac certe non semper
 necessarium, seu de precepto, vel obligatione. Unde te-
 43 nemur solum ex precepto partem tutiorem eligere in du-
 biis sive juris, sive facti quoad valorem sacramentorum,
 quia si sint opiniones oppositae circa aliquod concernens
 valorem, sequenda est tutior, quia minus tuta, licet for-
 44 tasse sit probabilior, & quis bona fide secundum illam
 operetur, facere tamen non potest, ut vel tale aliquod
 non sit de valore sacramenti, vel sacramentum sit vali-
 dum, si illud omittatur: Si enim, v. gr. dubium sit an
 infans fuerit baptizatus sub legitima forma, materia, &
 intentione, debet iterum tamquam tutius sub conditione
 45 baptizari. Similiter tenetur ex precepto partem tutiorem
 eligere, quando alter immineret proximo periculum gra-
 vis damni, seu Medici, Advocati, alique similes ad ob-
 tinendam proximo sanitatem, vel causae victoriam, & hu-
 46 jusmodi, tenentur adhibere media tutiora, licet occurrerent
 etiam alia probabiliora, vel plausibilia; mens enim
 illorum, qui ipsorum operam conducent, est ut talem finem,
 quantum poterunt, tutissime consequantur, ad quem finem
 sic obtinendum nihil faceret opinio probabili-
 47 or, aut plausibilior, nisi sit tutior simul. Et idem est di-

dicendum in aliis similibus materiis, maxime in quibus
 42 non licet sequi opinionem probabilem relicta tutiori. Si-
 militer etiam esset obligatio sequendi tutiorem partem,
 si quis ad hoc se obligasset voto, vel ad id adstrictus es-
 set per legem, aut per legitimum superioris mandatum.
 43 In aliis autem materiis non tenetur eligere partem tu-
 tiorum, etiam si lex aliqua praecipiat, ut pars tutior eligatur,
 quod maxime est verum, si ex parte tutiori grave ali-
 quod incommodum sequeretur. Et ratio est, quia in aliis
 materiis, & casibus, quale est periculum invaliditatis
 sacramenti, aut damni gravissimi tum spiritualis, tum
 44 corporalis, & temporalis proximi. Et de facto in pluri-
 bus aliis materiis tum Pontifices, tum Sancti Patres, do-
 cuerunt, & tenuerunt aliqua minus tuta tamquam licita,
 relicta parte tutiori. Coelestinus III. in c. Laudabilem 5.
de frigidis, & maleficis. dicit impotentes posse ad trien-
 45 re contracti matrimonii tutius est abstinere. Plurimi Pon-
 tifices dispensarunt in voto solenni castitatis contra opi-
 nionem tutiorem S. Thomae, qui 2. 2. q. 88. art. 1. negat
 id licere; sic enim dispensavit Alexander III. cum Ni-
 colao, Justiniano, Veneto, Monacho professore, ut ne ejus
 illustris familia extingueretur, uxorem duceret, quod fecit,
 & novem filia suscepit ad monasterium rediit, mi-
 raculis postea clarus. Innocentius II. dispensavit cum Ra-
 46 mirono Monacho professore ob mortem Regis Aragoniae sui
 Patris; & sic uxorem duxit, & regnum: Coelestinus III.
 dispensavit cum Constantia filia Regis Siciliae Moniali
 professa in monasterio S. Salvatoris Panormi, ut nubere
 Henrico VI. Imperatoris; sic de ipsis, & aliis refert Del-
 bene *part. 2. de Inquisit. decr.* 236. *sect.* 65. *perit.* 12. Qui-
 47 nimo Juditha fuit Monialis Ratisbonensis, & trium Regum
 conjux, scilicet Brevitali Bohem. Mesicini Polon. & Petri
 Hungar. sic refert P. Justus Redn. *tom.* 2. *tit.* 8. *sect.*
 4. n. 77. *fol.* 208. Sanctus Augustinus relatus in c.
 Quod culpatur 4. *caus.* 23. q. 1. docet, posse subditum
 48 licite militare in dubio belli iustij, & fere omnes SS. PP.
 docent non esse obligationem statim confitendi peccatum
 mortale, per haustum non frangi jejunium & alia hujus-
 49 modi, & tamen ista, & similia non sunt tutiora.
 Secundum axioma, scilicet: *In dubiis melior est con-
 ditione possidentis*, desumitur praecipue ex regula 56. *Ju-
 ris* in 6. ubi sic praecise habetur: *In pari delicto, vel cau-
 sa potior est conditio possidentis*. Et ex ff. *de regula Ju-
 ris*, *regul.* 128. ubi sic praecise dicitur: *In pari causa pos-
 sessor potior haberi debet*. Immo ut recte tenet Cardenas
 50 in 1. *crisi.* *dec.* 65. n. 1247. hoc axioma fundatur in iure
 naturae, sic enim, etiam prescindendo a legis huma-
 nis, foret contra jus naturae possessorem spoliare sua
 re propter superveniens dubium. Et verus sensus hujus
 axiomatis est, quod quando neutra pars sufficienter pro-
 51 hatur, possessionis causa debeat sustineri. Lugo *de Jus-
 tit.* *dec.* 17. n. 94. Hoc axioma locum habet universaliter
 in materia justitiae, quando videlicet dubium est, an
 res aliqua sit hujus, vel illius domini, & unus de facto
 bona fide possidet talem rem, tunc melior, seu potior
 est conditio possidentis, ut nec ipse eam restituere teneatur,
 nec ei etiam in iudicio auferri possit, ut sentiunt
 52 communiter Doctores. Et ratio est, quia sic declarant re-
 gulae juris adductae supra n. 48. Tum quia possidens est
 veluti reus; alter autem *regul.* 154. ff. *de regul. Jur.*
*Cum par delictum est duorum, semper oneratur potior, &
 melior habetur possessoris causa*. Item *regul.* 11. *Jur.* in 6.
 sic praecise habetur: *Cum sunt partium iura obscura, res
 servandum est potius, quam auctori*; adeoque &c. Item tale
 axioma nedum habet locum quoad possessionem in ma-
 53 teria justitiae, sed quoad possessionem in materia aliarum
 virtutum, votij, legis &c. maxime si materiae illae in pri-
 mo sui esse pendeant a libertate nostra. Est *jan. commu-
 nior*, & fere recepta *sententia*, quamvis multi tenuerint
 valere tale axioma solum in materia justitiae, quia posses-
 sor habet aliquam praereminentiam, sive plus juris, ut non
 privetur re, nisi probetur non esse suam; sed idem est in
 aliis materiis, quia possessor in quacumque materia per
 possessionem acquisivisse Jus retinendi id, quod habet; ergo
 potest in hoc tute stare, donec probetur eum non posse
 licite in tali possessione perseverare.

Hinc colliges primo, valere tale axioma indubitanter
 53 in materia obedientiae; subditus enim in dubio an id,
 quod imperatur a superiore, sit peccatum, tenetur obe-
 dire, cum superior sit in possessione potestatis ad impe-
 randum; sic habetur clare in cap. Quid culpatur 4. *cau-
 sa* 23. q. 1. ubi S. Augustinus dicit, quod jubente Rege
 etiam sacrilego possit subditus recte, & licite militare,
 quamvis dubiet bellum esse injustum; & tenent commu-
 54 niter Doctores. Colliges secundo, valere tale axioma in
 materia religionis, quia dubius, v. gr. de voto emisso,
 non tenetur ad votum, quia libertas, quae secundum
 55 *reg.* 122. ff. *de regul. Juris*, omnibus rebus est favora-
 bilior, in possessione est. Colliges tertio, valere axioma
 in materia fidelitatis, quia conjux dubius, v. gr. an ma-
 trimonium sit validum, tenetur reddere debitum, quia
 alter conjux, bona fide petens debitum, est in possessione,
 56 ne, ut desumitur ex c. Inquisitioni 44. *de sent. excomm.*
 ubi Innocentius III. de iniquis credente matrimonium
 esse invalidum, sic praecise ait: *Cum conscientia pulsat
 animum ex credulitate probabilis & discreta, quamvis non
 evidenti, reddere potest, sed petere non potest debitum*.
 Colliges quarto, quod ex regula talis axiomatis, qui ve-
 57 re dubitat, an lex, vel preceptum adsit, manet in posses-
 sione suae libertatis contra legem, vel preceptum, quia
 per obligationem dubiam nemo spoliari potest jure, quod
 certo possidet; unde dubius, an pro tali vigilia sit indic-
 tum jejunium, vel pro tali die indicium praeciptum festan-
 di; non tenetur jejunare, nec festare, quia certa est
 libertas, & dubia obligatio. E contra vero, qui est certus
 de lege lata, promulgata & recepta, & dubitat solum de
 ejus cessatione, vel abrogatione, lex manet in possessione
 suae obligationis contra hominem dubitantem, quia
 certa est obligatio, & dubia liberatio. Unde certus de
 lege lata & recepta, v. gr. de non ludendo aleis, & hu-
 58 jusmodi, & dubius an talis lex denovo abrogata sit, vel
 pro non usu cessarit &c. is tenetur ad observantiam leg-
 59 is, quia pro ipsa stat possessio contra dubitantem, cum
 legis obligatio sit certa, & legis liberatio per abrogationem,
 vel cessationem sit dubia.
 Colliges quinto, ex tali axiomate, quod in dubio fac-
 ti fundantem legem, dubitans & facto manet in possessione
 suae libertatis, quia certa est libertas, & dubia obligatio;
 unde qui vere dubitat, an in tali infirmitate, vel periculo
 fecerit tale votum, non tenetur ad votum, quia
 nulla est possessio pro voto, sed tota possessio stat pro
 libertate voluntatis, nam illud factum, vel aliud quod
 simile, v. gr. juramentum, & hujusmodi, fundat legem,
 quod factum, quia in dubio non praesumitur, non potest
 fundare obligationem contra certam libertatem hominis,
 & specialiter obligatio voti, juramenti, promissionis, ad-
 60 trahenda non est, nisi liquido cognoscatur; *argum.* leg.
Quidquid, de verbor. obligat. E contra vero, in dubio
 facti supponentis legem, manet in possessione obligatio-
 nis contra dubitantem; quia certa est obligatio, & dubia
 61 liberatio, seu adimpletio legis; unde qui dubitat, an
 horas persolverit, tenetur persolvere; qui dubitat, an
 votum suum, vel juramentum impleverit, tenetur adhuc
 implere, quia cum ista sint aliquid facti, in dubio non
 praesumuntur, & tota possessio, & praesumptio stat pro
 legis obligatione. Colliges sexto, ex tali axiomate, quod
 in dubio circa tempus inchoandae obligationis, dubitans
 manet in possessione suae libertatis, quia certa est liber-
 62 tas, dubia obligatio. Unde juvenis, qui invincibiliter du-
 bitat, an expleverit annum vigesimum primum, & qua
 incipit obligari jejunio, non tenetur jejunio, quia certa est
 possessio suae libertatis usque ad expletionem illius anni,
 expletio autem est incerta. E contra vero, in dubio circa
 tempus finiendi obligationem, lex manet in possessione
 obligationis contra dubitantem; quia obligatio est certa,
 & dubia liberatio; unde senex dubitans invincibiliter,
 63 an expleverit annum sexagesimum, manet adstrictus
 lege jejunij, cujus obligatio est certa, dubia autem
 liberatio; sic dubitans, an expleverit annum vigesimum
 quartum requisitum pro Sacerdotio, debet abstinere, donec
 de tali aetate constet, quia possessio certa stat pro
 lege canonica certo prohibente ante expletum vigesimum
 quartum annum ordinari ad Sacerdotium sine dispensa-
 64 tio-